Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26043
Copyright: Admont, Benediktinerstift

si iuxta sententiam apostoli non erunt episcopi non mariti. ipse apostolus episcopus esse non debuit qui dixit. Volo autem omnes esse sicut
ego sum. et iohannes indignus hoc gradu estimabitur. et omnes uirgines et continentes quibus quasi pulcherrimis gemmis
ecclesie monile decoratur. Episcopus presbiter et diaconus non sunt meritorum nomina sed officiorum. Nec dicit. Si quis episcopatum
desiderat bonum honorem desiderat. sed bonum opus desiderat. quod in maiori ordine constitutus possit siue
lit occasionem exercendarum habere uirtutum. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse. ut nulli uitio man
cipandus sit. Unius uxoris uirum. qui unam uxorem habuerit non habeat. Sobrium siue ut melius in greco dicitur
uigilantem. id est nephalion. pudicum. hoc enim significat sofron. Ornatum et castitate et moribus. hos
pitalem. ut imitetur abraham. et cum peregrinis. immo in peregrinis suscipiat christum. Doctorem. Nichil enim
prodest ei conscientia uirtutum perfrui. nisi et creditum sibi populum possit instruere. ut ualeat exortari in
doctrina et eos qui contradicunt redarguere. Non uinolentum. qui aliquando semper in sanctis sanctorum est et offert hostiam. uinum
et siceram non bibit. Non uinolentum. quia in uino est luxuria. Non uinolentum. Sic bibat episcopus ut an biberit igno
retur. Non percussorem. id est qui conscientias singulorum non percutiat. Neque enim pugilem describit sermo apostolicus.
sed pontificem instituit quod facere non debeat. docet nec in religione quod faciat. Sed modestum non litigiosum
non cupidum. domum suam regentem. filios habentem subditos cum omni castitate. Vide quanta pudici
cia exigatur in episcopo. ut si filii eius inpudici fuerint. ipse episcopus esse non possit. et eodem officio offendat
deum. quo offendit heli pontifex. qui corripuerat quidem filios sed quia non abiecerat delinquentes retrorsum ceci
dit et mortuus est lucerna dei ante quam extingueretur. Mulierem similiter pudicam et reliqua. In omni gradu
seruit pudicitia tenet principatum. Cernis ergo quod episcopus presbiter et diaconus non ideo sunt beati quia episcopi uel presbiteri sunt
aut diacones. sed si uirtutes habuerint nominum suorum et officiorum. Alioquin si diaconus sanctior episcopo suo
fuerit. num ex eo quod inferiori gradu est apud christum deterior erit. Absit ut stephanus diaconus qui primus mar
tyrio coronatus est minor futurus sit in regno celorum multis episcopis et timotheo aut tyto. quos subicere non au
deo. ita nec ante ponere. Hucusque ieronimus. Quanti autem fuerit auctoritatis etiam apud episcopos apostolice sedis.
decreta beati gelasii pape satis insinuant que uitam autenticas et canonicas sanctione opuscula ipsius recipienda
decernunt. sicut et sanctorum cypriani ambrosii augustini opuscula siue tractatus et reliquorum sanctorum patrum qui nec in fide
nec in predicatione a sancta romana ecclesia deuiarunt sed in eius communicatione usque ad finem uite perdurarunt.
In tantum nempe beatus gelasius in predictis decretis auctoritatem sancti ieronimi nobis commendat ut et alia eius opus
cula iuxta eius iudicium recipienda uel respuenda esse ibidem decernat. Quicumque ergo debitam obedientiam apostolice
sedi impendere uoluerit. nullatenus uel huiusmodi sanctorum patrum singularibus sententiis repugnabit. Huc
usque sufficiat dixisse quod apostolus exigat a sacerdotibus. Quod quicumque fidelium perspexerit. neque quam statuta nostri
apostolici obliteranda iudicabit. quoniam nec aliquis contempnere poterit nisi ipsorum apostolorum sententiis repugnare
uelit. quibus ipsa ueritas in euangelio fidelissime promittit. Amen dico uobis. remissius erit terre sodomorum
in die iudicii quam illi qui sermonem uestros non receperit. ca statuta contempnere uideat.

De quarto statuto predicte decretalis epistole ne populus officia clericorum recipiat quos apostoli

XVII. Quartum autem nostri apostolici decretum precipit. ut populus clericorum officia non recipiat. quos sacris
canonibus immo euangelicis et apostolicis institutionibus ad usum precipiat uidelicet quos iuxta censuram sanctorum
patrum dampnatos in propria eorum pernicie altari ministrare uideat. Nempe antiocenum concilium a sanctissimo
calcedonensi concilio ut prediximus indubitanter roboratum. officia dampnatorum clericorum a populis recipi dis
trictissime prohibet. in tantum scilicet ut etiam ab ecclesia abiciendos esse iudicet qui illis clericis saltem commu
nicauerint. quos interdictum sibi ministerium usurpare cognouerint. Sic enim quartum eiusdem concilii
capitulum testatur. Si quis episcopus dampnatus a sinodo uel presbiter aut diaconus ab episcopo. ausi fuerint aliquid de sacro minis
terio contingere. siue episcopus iuxta precedentem consuetudinem. siue presbiter aut diaconus. nullo modo liceat ei
nec in alia sinodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Sed et communicantes ei omnes ab ecclesia
abici et maxime si postea quam didicerunt aduersus memoratos prolatam fuisse sententiam. eisdem communi
care temptauerint. Iuxta huius capituli tenorem sancti patres qui in calcedona sanctissimos canones promul
gauerant omnes communicatores cuiusdam dampnati tymothei presulis alexandrini excommunicatos esse
censuerunt. qui leoni imperatori pro eodem tymotheo consulenti hoc modo rescripserunt. Eos etiam qui cum scirent ty
motheum fuisse dampnatum communicare illi sine periculo crediderunt extraneos esse a dei ecclesia iudicamus.